



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 59. Ecce appropinquavit hora & filius hominis tradetur in manus
peccatorum? v. 25.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

tuam gratiam moueatur, ut acceptet, quod bonum illi est, & æternum; modicum vero tribulationis quod in præsentis est, spernat, ut mereatur præmia æterna.

s. 58. *Et dicit illis dormite iam & requiescite. v. 45.*

Quasi diceret: absolui pro vobis luctam internam, resolui me plenissime in mortem, victima pro vobis cædenda & offerenda iam parata est, iam causam certe aliquam habetis dormiendi, quam antea non habuistis, nec sciistis, & hoc dicto: reuera eos permisit dormire. Ipse autem pro eis in excubiis sterit. O quid tunc piissimus Dominus cogitauit? liquece cor meum & anima mea super benignitate Iesu tui, saluatoris tui, pastoris tui, custodis tui &c.

Domine Iesu Christe immensam tuam benignitatem agnosco planeque sentio, nec habeo verba apta quibus sensum animi mei eloquar, Spiritus meus non manet in me, sed transit in te, ubi melius est quam in me. Excipe me Iesu, Iesu.

s. 59. *Ecce appropinquauit hora & filius hominis tradetur in manus peccatorum: v. 25.*

Cum aliquantum quiescissent discipuli, Domino super eos excubante & præstolante adventum Iudæ & cohortis, ait: Ecce, Apostoli mei, usque modo non credidistis mihi vos excitanti, & serio monenti ut vigilaretis, nec cordi habuistis periculum eminens, Ecce, adest, hostis; adest enim illa hora quæ fuit ab æterno Patre statuta in qua capi & tradi debeo in manus peccatorum. Non solum hominum, sed eorum qui per excellentiam quandam sunt peccatores, nempe Dæmonum, qui Iudam & turbas in hoc actu regere permisi sunt, intrauit enim princeps eorum in cor Iudæ, & horum nequitia hoc opuserat.

Domine Deus meus, misericors super omnia, qui scis omnia & imple omnia, tibi soli constat hora exitus mei, utinam tunc somnolentus non inueniar, sed à te admonear, ut vigilans & paratus me vocanti sistere quam stricto Iudici, ad reddendam rationem de omni cogitatu, dicto, factoque dierum vitæ meæ. Obsecro te, pie Iesu, ut antea & tunc veram mihi pro peccatis meis infundas cõtritionem, cor meum lapideum emollias ad compunctionem, accendas ad deuotionem & tui desiderium. Oculis meis tribuas lacrimarum abundantiam ut nocte & die plangam iniuriam & contumelias, quas tibi irrogavi & innumera peccata quibus offendi te, Domine
Deus

Deus meus, ne quæso tribuas mihi secundum demerita mea, sed secundum infinitam misericordiam tuam: miserere mei: nec intres in iudicium cum seruo tuo, sed statue. Obsecro hanc accerbissimam passionem tuam inter iudicium tuum & miseram animam meam atque peccata mea, & quidquid merentur iniquitates meæ excuset hoc accerbissima mors tua, diluat preciosissimus sanguis tuus.

§. 60. *Surgite cæcus. v. 46.*

Postquam uti dictum est & orauerat & Apostolis quietem permiserat, & ipse pro eis excubauerat, & resolutus ad patiendum pro nobis & moriendum in satisfactionem peccatorum nostrorum, etiam veniente hoste, Apostolos excitauerat, non contentus stare in loco & expectare hostis irruptionem intrepida mente & corde, sed etiam quasi Dux strenuus obuiam iturus hosti, hortatur milites suos & Apostolos ne timerent, sed surgerent & comitarentur se vltro in hostem, quod est stratagemata valde illustre in bellis, si prudenter fiat, uti hic factum fuit à sapientia æterna.

Cogita nunc, ô anima mea, esse te cum Christo in horto & hæc illum tibi verba dixisse. Surge; & vade: surge itaque ô anima mea à somno vitiorum & à somno torporis ac fallacium oblectamentorum terræ, ab omni quoque delectatione & commodis naturæ, arreptaque viriliter Cruce penitentia & afflictionum sequere Christum Dominum tuum, simulque cum ingenti compassione & intimo amore miserabilem ac deformem conspice figuram saluatoris tui, cogitans te esse causam passionis suæ. Expende diligenter quanta fuerit interna animæ illius angustia ex signis externis maxime afflicti corporis eius cuius dolores utpote magis notos facilius apprehendere soles. Et sic pedibus eius prostrata, cum tanto dolore & compassione cordis, quantam à Deo consequi potes, & cum feruentibus lacrimis grauibusque & altis suspiriis precare.

O Iesu Dux fortissime & inuictissime qui mundum & naturam tuam vicisti quæso per potentiam tuam conforta infirmitatem meam, vt sensuilitatem & rebellem ac immortificatam naturam meam omnesque inordinatos, ad quamlibet inferiorem rem mundi huius, affectus penitus vincam, edomemque, auertam me perfecte ab omnibus quæ maculare possint cor meum, & aliquid inter me & amorem tuum interponere, quo te Dominum meum tam pure, tamque feruide diligam & sequar, quam est possibile mortali creaturæ.

§. 61.